

nandi et extirpandi hereticos memoratos. Nosque aduertentes et oculis nostris visibiliter conspicientes oratores, ambasciatores et legatos omnium Principum et Regnorum fere totius Christianitatis in ipso Sacro Concilio constitutos, preattactam ipsius Sacri Concilii ordinationem nominibus Principum et Regnorum, a quibus missi sunt, affectuosis voluntatibus acceptasse, considerantes nihilominus ipsum regnum nostrum Hungarie vicinius grauiusque insultibus, non solum ipsorum hereticorum, verum etiam Turcorum et aliorum emulorum nostrorum perturbari et lacerari, quam alia regna remotiora, que ad eorundem hereticorum destructionem et diminutionem anhelantium, predictam impositionem et ordinationem nedum acceptare, verum magis fieri procurare cupierunt, vna cum fidelibus nostris Consiliariis nobiscum hic existentibus mature superinde deliberantes decreuimus, eandem dispositionem nostro et regni nostri Hungarie et aliorum Regnorum nostrorum nominibus rationabiliter acceptandam, nec aliqua causa honesta refutare debendam; cum in hoc negotio, presertim ipsius regni nostri Hungarie, cuius magna pars per insultus dictorum Turcorum iam deuastata est, in hac parte specialiter defensionis causa tractari videatur, idcirco fidelitati vestre et vestrum cuiuslibet firmissimo damus sub edicto, quatenus statim visis presentibus, dilationibus et subterfugiis procul motis, ad preattactam impositionem ipsius quinquagesime et aliarum impositionum superius declaratarum, vel si considerata magnitudine guerrarum regno nostro ex parte ipsorum Hussitarum et Turcorum ac aliorum emulorum ingruentium predicta impositio parua fore visa fuerit, extunc maiores impositiones secundum deliberationem Prelatorum, Baronum et regnicolarum nostrorum limitande, ex medio vestre vniuersitatis certas et idoneas personas fidedignas, Nobiles notabiles, et super premissis rationem dandi facultatem habentes, qui vobis visi fuerint, eligere et deputare debeatis, qui videlicet dictas impositiones ab vniuersis et singulis prenotatis cuiusuis status et conditionis hominibus in predicto Comitatu possessiones Seculari iure habentibus et tenentibus, quoad Seculares personas duntaxat, dicent, exigant et congregent, et de eisdem secundum vnanimem et concordem ordinationem et commissionem vicariorum nostrorum, et vestram, ceterorumque fidelium regnicolarum nostrorum gentes et homines exercitiales, in rebus bellicis bene peritos, vna cum Spectabili et Magnifico Hermanno, Cilie et Zagorie Comite, Regnique nostri Sclauonie Bano, socero nostro charissimo et fidei sincere dilecto, vel eius Vicebano seu Vicecomite Comitatus predicti adiuncto sibi aliquo de vestri medio per vos eligendo ipsis gentibus exercitualibus pro Capitaneo similiter de vestri medio stipendietis et appromptuetis taliter ... cum ligencia, vt in estate presenti tempore debito aduersus dictos Turcos aut hereticos, seu alios emulos, ad quasunque partes magis necesse fuerit, vna cum eisdem procedere valeant, et nos p in breui proposuimus cum auxiliis earundem gentium ad destructionem dictorum Turcorum ac hereticorum, seu aliorum emulorum prompti esse valeamus, prouidentes tamen, vt ipsi per uos deputati predictas collectas pecuniales superfluis expensis super eos fiendis non minuant, neque grauent eos, a quibus erunt exigende. Quidcunque vero ex huiusmodi pecuniis a stipendiatione et promptuatione gentium exercitualium forsitan residuum fuerit, apud manus dictorum collectorum seu aliorum fideles manus, prout vobis visum fuerit, pro vltioribus vtilitatibus et defensionibus dicti Regni nostri Hungarie disponatis conseruandum. Ceterum cum ex causis animum nostrum inducentibus sigilla nostra